

DE OFFICIO QUAESTORIS.

1.30.1

Imp. Theodosius A. Sallustio quaestori.

Totius minoris laterculi curam scias ad tuae sublimitatis sollicitudinem pertinere, ita ut tuo arbitratu ex scrinio memoriae totius minoris laterculi dignitates, hoc est praepositurae omnes, tribunatus et praefecturae castrorum iuxta consuetudinem priscam clementiae meae auctoritate deinceps mittantur.

D. VI k. Mai. Constantinopoli Victore cons.

[a. 424]

1.30.2

Idem A. Helioni comiti et magistro officiorum.

Omnes minoris laterculi dignitates, quae sub cura quidem ac sollicitudine viri illustris quaestoris esse antea videbantur, postea vero vel universae vel mediae ad magistrorum militum potestatem dispositionemque transierant, placuit nunc clementiae meae vetusti temporis more renovato ad prisa deinceps iura revocare.

D. III. Mai. supra scripto cons.

[a. 424]

1.30.3

Imp. Anastasius A. Eusebio magistro officiorum.

Officia et condicione, quae pertinent ad viros devotos in sacro scrinio memoriae militantes, nemini liceat sub quacumque occasione sine ulla divinae subscriptionis liberalitate peragere: eo, quicumque in hoc fuerit postea facinore convictus, publicatione bonorum suorum multando, officio quoque rectoris provinciae, in qua non adlegato super gerenda sollicitudine sacro rescripto aliquis ausus fuerit eandem curam sibimet usurpare, trium librarum auri dispendio feriendo.

D. k. Mart. Constantinopoli Anastasio A. et Rufo consss.

[a. 492]